

Pa
454

F.H. 173
R4

IIa
454

De Typographica Inventione

XXV.

JVBILAEI TYPOGRAPHICI

A. MDCC.

quintum orientis

memoriam

ORATIONIBVS

FESTI SILVSIACI GREGORIANI

Latinis colent

I.

Jo. Ruittinger, *Streiffsdorffensis,*
dicturus de usu & abusu Typographiae

II.

Caspar May, *Milzensis,*
qui vrbes per Typographiam claras afferet

III.

Georgius Petrus Schroeter, *Lengsfeldensis,*
qui Viros per Typographiam claros enarrabit

IV.

Jo. Christoph. Leopold, *Redvizensis,*
qui Insignia & tesseras Typographorum tradet, una cum Ode in Typogra-
phiam seculari

D. XVIII. MAI. A. MDCC.

h. VII.

Litteratam vero Schleusingam, ut frequente confessu beare velit iu-
veniles conatus, & pro litterarum ulteriore incremento preces iungere,
hoc ipso, quod in Declamationes scriptum est, Programmata, debita

omnino ratione inuitat

M. GODOFREDVS LVDOVICI, Gymn. Schleusing. R.





X numerosissima illa serie controuersiarum, quae circa *Typographiam* habentur, & rarioribus in eiusdem historiam annotationis forte sine controuersia & memoratu digna sunt, quae declamationibus & exercitiis scholasticis *Iubilei Typographici* destinata fuerunt. Quamquam enim a Celeberrimo Dn. Tenzelio, in Discursu von *Erfindung der löblichen Buchdrucker Kunst in Teutschland bey Gelegenheit ihres erscheinenden fünfsten Jubel, Jahres A. 1700.* vulgato, Io. Guttenbergius, domo Argentinensis, ciuitate vero Moguntinus, asseritur inuenisse hoc egregium opus, *Typographiam*; sumtis videlicet argumentis ex Io. Trithemii *Annalibus Hirsaugiensibus*, clausulis librorum impressionis primae, & vetere Chronico Colonienfi. Vtut probari omnino queat, *Guttenbergio* in consummando labore sumtibus operaque sua praesto fuisse Io. Faustum, vel Fust (eundem Dn. Tenzelius esse credit cum Io. Gensfleisch) ciuem Moguntiae, quo se *Guttenbergius* contulerat, Faustique generum fuisse *Schefferum*, Virum *Typographia* similiter clarum & parentem Io. Schefferi. Vtut rectius sit, credi, Io. Mentelinum, *Argentoratensem*, quem itidem inventionis gloria nonnulli afficiunt, in patria sua *Typographiam* coluisse magis, atque *Argentorati* parasse, quae *Guttenberg* ibidem meditatus erat, sed *Moguntiae* perfecerat. Vtut tandem *Harlemensibus Bataviae* facile largiamur, *Laurentium Ioannem*, cognomento *Aedituum Custodemque*, seu *Costerum* dignum esse, qui ob labores suos laudetur, & quae sunt alia. Nolumus tamen immorari disceptationibus: quia iuuentutem potius erudimus, & quae ad illustranda Scholae themata faciunt, studemus proponere. Neque adeo animus est, in vrbes longelateque euagari, & in loca illa, vbi impressi primum libri sint, & *Typographicae* officinae cum primis coeperint condi; quod familiam ducere nunc *Argentoratum* contendit, nunc *Moguntia*, nunc *Harlemum*, nunc ipsum *Chinae* regnum. Pro *Argentorato* Dn. *Wagenseilio* (*Synops. hist. vniu. P. II. p. 521.*) Autores vicisse videntur, si verus & genuinus sit locus *Chronici Argentoratensis*, quem communiter allegant, vel si *Speclini* testimonium indubitatum esse possit: de vtroque ergo dispicere non detrectauit Dn. *Tenzel*. Pro *Moguntia* non tantum superius dicti militant, qui *Guttenbergium* primum *Typographiae* faciunt Autorem, sed horum quoque in sententiam hodie plerique malunt discedere. Hofmannus in *Lexico Vniuersali: Moguntiae artis Typographicae inventio* debetur A. D. 1450. *La plus commune opinion est, qu'elle est due a Mayence, ou Jean Guttenberg, Jean Fust ou Faust, & Pierre Opilio ou Schoeffer en firent les premiers essais, de typographia loquitur Journ. des Scauans pour l'annee 1695. p. 224.* vbi recensitus est historiae *typographicae* liber, *L'origine de l'Imprimerie, par le Sieur Andre Chevillier, in 4. a Paris 1695.* & ex eodem elogium *Trithemii* singulare, cuius testimonio Dn. *Tenzel* pro *Guttenbergio* nititur. Pro *Bataviae* vrbe, *Harlemo*, pugnant *Scriuerius*, *Iunius*, *Auberius*, & praeterea haud pauci; etiam ista aureis literis ad exterius domus *Costerianae* in foro *Harlemensi* existentis fastigium inscriptio: *Memoriae sacrum! TYPOGRAPHIA ars artium omnium conseruatrix, hic primum inuenta circa A. 1440.* Quo pertinent *Casparis Barlaei* vindiciae vrbis *Harlemensis* nomine scriptae: *Inuidet excusas populosa Moguntia Musas, quodque meum est laudis, iactitat esse suae;* veluti haec in simili argumento dissertatio *Lipsiensis* Anni 1698. congescit. Taceo numquam in *Typographiam Harlemensem*, quem sibi examinandum saepius citatus Dn. *Tenzel* in discursu suo sumsit. Ipsi *Chinae* regno eiusdemque, vrbibus gloriam nostram nonnulli vendicant, quod vel ex Gallico libro in statum *Chinae modernum Paris, 1696.* adornato videre licet; nisi quod de *China* assertionibus, vt *Germaniam nostram* tueretur, se respondisse asseuerat Dn. *Tenzel* alibi, in *Colloqu. menstr. An. 1697. p. 978.* vbi Lectorem rerum *typographicarum* cupidum ad superiores *Colloquiorum* annos *XCII. & XCIII.* remittit. Galli vt alias honori suo & famae prospiciunt; ita perfectioris absolutionis laudem qua *Typographias* sibi omnino tribuunt: cuius rei quam habeant rationem, *Diarium* nunc altera vice allegandum eloqui potest: *Si les Allemans remporteroient la gloire d'auoir invente un art aussi utile, qu'est celui de l'Imprimerie, les Francois ont eu l'auantage de le porter a sa derniere perfection. Christophe Plantin, qui imprima en 1571. la Bible de Philippe II. a Anuers, etoit du dioecese de Tours.* Quicquid vero huius sit, plerique, vt ad themata nostra, & vnde digressus sum, reuertar, *Typographiae* natalem A. 1440. fuisse censent, quo nimirum tempore *Guttenbergius* hanc artem animo meditari incepit, vti eadem de causa *Lipsiae Iubileum Typogra-*

graphicum A. 1640. celebratum esse scimus: sed consummari quasi, & e tenebris capti-
uum erigere demum potuit A. 1450. Moguntiae. Vnde, si ad calculos reuocare libet
Typographiae aetatem, & annos quinquagenos seu Iubilaeos numerare, nunc QUINTVM
erit IUBILAEVM TYPOGRAPHICVM. Quod idem voluit numismatis à lauda-
tissimo Tentzelio Typographis dicati verba: *Arti Typographicae, a Ioann. Guttenbergio Ar-*
gentorati inuentae, ac ope consilioque Ioann. Fausti Moguntiae, A. 1450., Bibliis Latinis aeneo chara-
ctere impressis, primum vulgatae, quintum Iubilaeum anno Christi Iubilaeo 1700. feliciter celebrantē
sacrum. Sunt, quod nemo in dubium vocat, in Viris per Typographiam claris Io. Gut-
tenberg, Io. Faust, & Petrus Schaefferus, Triumviri, & sua passim iure meritoque elogia
nacti. Io. Arnold. Burgellanus in encomio artis Chalcographicae inter alia ita: *Impari-*
bus numeris coelestia numina gaudent, hoc opus exegit sic quoque sancta Trias. Illo primus erat
tunc Guttenbergus in albo, Alter erat Faustus, Tertius Opilio. Et de Guttenbergio notum est
distichon Chronicum: *Mira typis Libros ars quae Celera excitat aetate, ex Guttenbergi*
genio est inventa Ioannis. Sed epitaphium, quod Hofmannus in Lex. vniu. ex Heidelber-
gensibus monumentis ad Guttenbergium refert, apud Chytracum in deliciis Itin. ad Io. Lau-
denbachium video pertinere. Io. Schefferus, Faustus nepos, Mentelius, eiusdemque ex filia
nepos, Io. Schottus, Sixtus Ruffinger vt hodiernum memoriae inhaerent! cum longe plu-
ribus, quorum catalogum texere & prolixum foret, & historia est ab aliis dudum
pertractata. Triennium enim nunc est, ex quo Dn. Io. Albert. Faber, hodie Theologiae
Doct̃or & Gymnasii Hamburgensis Professor notitiam celeberrimam typographorum ex Cl. Almelo-
renio de Stephanorum vitis & Bailleti libro, qui inscribitur *Jugemens des principaux Im-*
primeurs, collegit, & Alphabetico ordine digessit; vbi videas comparere praeter alios
Io. Amerbachium, Guil. Bleaerum, Danielem Bombergium, Hieronymum Comelinum, Sebastia-
num Cramoisy, Elzevirios, Frobenios, Iuntas, Manutios, Morellios, Io. Oporinum, Christo-
phorum Plantinum, Stephanos, Adr. Turnebum, Ernestum Wegelinum & Wechelios. Illud forte
notari non erit incongruum, deprehendi in hoc Fabri Syllabo, quos Chevillier l. c. ab
insigni diligentia in euitandis sphalmatibus laudat, nominatim Aldum Manutium,
Io. Amerbachium, Io. Frobenium, Iodocum Badium, Robertum Stephanum, Michaelem Vasco-
sanum & Simonem Colinaeum. Cum hodie saepe ingeminandum sit cum Pyrrho ex
Flor. L. I. c. 18. *Video me plane Herculeo sidere procreatum, cui quasi ab angue Lernaeo tot caesa*
hostium capita de sanguine hostium renascuntur. Num inuenitur liber tam ab erratis im-
munis, vt praefigi nunc possit epigramma Auberianum, editioni Virgilii datum? *Hoc*
eme, quisquis amat tersum sine labe volumen; nulla equidem toto corpore menda latet. Atque,
quod Dn. Tentzel alii discursui de Margaretha, Electrice Saxoniae, appendicem *Typographi-*
cam daret, causa quoque fuerunt Sphalmata, quando in priori & supra citato sche-
diasmate nepos Faustus bis scriptus erat Petrus Schaeffer, debuissetque a typosetha poni
Iohannes Schaeffer. Caeterum, quoniam ipsa declamatorum argumenta postulant, vt
de vrbibus per Typographiam claris praeliminari velut sermone mentio quoque affe-
ratur, placet quidem generatim de Germania, quae praecipuas vrbes Typographicas, si an-
tiquitatem artis spectes, habet, ex Nauclero cum Th. Lansio dicere & exclamare: *O Ger-*
mania muneris reperitrix, quo nil vtilius dedit vetustas, libros scribere quae doces premendo! Est
Trithemio nobilis famosaque vrbis Moguntina huius artis impressoriae prima inuentrix.
Genuit Argentina, nunc Gallicae potestatis, olim nostra Guttenbergium; & Mentelii ope-
ra inter vrbes à Typographia commendandas praecipuum iuxta Moguntiam meretur lo-
cum. Neapolim (Germani enim in alios admodum fuerunt liberales) Sixtus Ruffingerus
A. C. 1471. artem detulit. Florentiae A. 1485. coepit vigere. Harlemum, Roma, Colonia,
Tigurum, Francofurtum, Taurinum, Norimberga, Augusta Vindelicorum, Eslinga, Spira, Dauen-
tria, Louanium, Lutetia, Lugdunum, Complutum, sunt loca, quae non heri aut nūdius ter-
tius officinis suis typographicis inclaruerunt. Venetiis, inquit Hofm. c. l. post Moguntiam
ars Typographica & bonae literae prae aliis plurimum debent ob typorum elegantiam,
quibus hodie fere vtuntur, quique differentiae causa Veneti dicuntur. Qua typorum
gloria & chartae bonitate sese extulerunt haecenus Galli & Bataui; hodie autem nec
illam laudem sibi decerpi patitur Germania, comparanda cum omnibus aliis Regio-
nibus, imo caeteris facile praeferenda: quia vix vrbis reperitur, quae typographiam
nunc non foueat. Et Schleusinga nostra quid aliud est, quam vrbis per typographiam quo-
que clara? Tantam, tantam claritatem, quae ex Typographia est, dum perpendi me-
cum, cur de Insignibus Typographicis meditari venerit in animum, coniectura facile licet
consequi. Scilicet non solum Dn. Tentzelius Typographicorum Insignium ex Dn. Birkit
Desterr. Ehren. Spiegel meminit: sed Christophori quoque Weizelii liber, *Abbildung*
der gemein, nützlichen Haupt-Stände/ von den Regenten und ihren so in Frie-
dens, als Krieges, Zeiten zugeordneten Bedienten bis auf alle Künstler und
Handwerker / p. 258. hanc Typographorum felicitatem effert, quando typosethis (den
Setzern) aquilam, & Impressoribus (den Druckern) Gryphem, qui vnguibus pilas
(Dru

FK Ta 454

(Drucker, Ballen) teneret, Imperatorem Fridericum III. concessisse, humillime recordatur. Pia quoque memoria clementiam hanc recoluerunt Impressores in *Iubilaeo Lipsiensi*, A. 1640. ad gryphem concinentes: So singen wir mit Freuden, Schall der Drucker-Wappen an/ und was ihr Greiff uns überall zu guter letzt gethan. Der Greiff ist hell und starck und schnell/ schatz und goldreich/ wenn mans ihm raubet gleich. Greiffet all ihr Greiffe greiffet / häuffet all ihr Schätze häuffet / Eure Schrifft Gold und Geld übertriff. Habueritne *Schottiana familia Typographica* a Friderico III. Leonem coronatum, pro *Insigni*, peritioribus relinquo discutiendum. *Signa* tamen sua & *scuta* olim *typographi* libris appingi curarunt; in quorum loca succedere certa *emblemata* & *imagines*, vt *Circinus Plantinianorum*, *Frobenii Caduceus*, *Gymnici Monoceros*, *VVecheliano- rum Pegasus*, *Grus Episcopii*, *Iuntarum Lilium*, *Parisiensis societatis nauis velifera*, *Hierati Gryphus* &c. Quae vtv *insignium* nomine nolim appellare, *mercarum* potius & *ref- serarum*, at ex *insignium* doctrina (quippe naturalia, artificialia, aut alius generis sunt) quam optime possunt dispesci, iucundaque sunt & vtilia. Imo iucunda & vtilia es- sent, quae in materiam *typographicam* addere nunc iubet argumenti ratio, veluti sunt, dissertationes de erratis *Typographicis*, quorsum referre quid impedit *Io. Clerici* me- ditamenta in mendorum originem & antiquitatem? (*art. Crit. P. I. S. I. c. I. & II. conf. Journ. cit. p. 233.*) de primo, qui per typos lucem publicam aspexit, libro (*Dn. Tentzel. in Colloqu. mensr. & VVeigel. cc. II.*) de primis *Hebraearum* & *Graecarum* literarum officin- nis, de abbreviaturis antiquis *Typographicis*, de typorum figuris, antiqua & cursiua, de *Iudaeis* per *Typographiam* claris, de *Correctoribus Typographicis*, eruditissimis *Viris*, quos inter *Sylburgius*, *Morellius*, *Gelenius*, imo *Erasmus* & *Melanchthon* fuerunt, de gentibus, quibus hoc literarum subsidium non est, de *typographiis* non ita pri- dem natis, imo de *vsu* & *abusu Typographiae* (*Journ. c. I.*), quem ipsum non potuit non innuere suo de librorum vsu & abusu libro *Guil. Saldenus*. Verum enimvero sistit ca- lamum haec praefamini destinata charta, & quemadmodum *IVBILAEVM TYPO- GRAPHIA* suum recte celebret, vel ex supra dictis patere potest. Ipsa Schola haec il- lustris, quae tantum *typographiae* inde a sua origine debet, quod & *Schleusingam litera- tam* semper fuisse declaravit *Typographia*, actu suo *Scholastico* & *GREGORIANO* *Iu- bilaei Typographici* memor esse voluit; & cum per *Typographiam* valeant literae, literae vero *Schleusingenses* per *SERENISSIMOS NVTRITORES*, *PRINCIPES SAXO- NIAE* & *DVCES CLEMENTISSIMOS* perstare queant, argumentum tale recte sibi videtur elegisse. Vt ne tanto *DEI* Opt. Max. dono ingratisimi ac plane impietissi- mi existamus, quod monitum est *Auentini l. VII. Annal.* Bene nos, inquam, precamur *SERENISSIMIS NVTRITORIBVS*, vti idem sibi humillima mente & recepto pioque more faciendum proposuerunt *Declamatores* sub orationum suarum finem: & ad audiendas exercitationes tyronum *Maecenates*, *Patrones*, *Fautores* & *Amicos* *Schleu- singenses*, qua fieri debet potestque pietate & officiorum mutuorum pollicitatione, in- vitamus. Huc enim tendit *Programma Typographici Iubilaei & Actus Gregoriani*.



SILVSAE,

Literis GEORGI WILHELMI GOEBELI, Illustr. Gymnas. Typogr.

or-
Li-
ru
fist
t all
oer
m
gra-
agi-
no-
lie-
ref-
nt)
ef-
nt,
me-
onf-
l. in
fici-
ua,
mis
unt,
pri-
on,
t ca-
PO-
c li-
tera-
lu-
erae
KO-
fibi
tissi-
mur
epto
em:
bleu-
in-



ULB Halle
002 705 400

3





XXV.
JVBILAEI TYPOGRAPHICI

A. MDCC.

quintum orientis

memoriam

ORATIONIBVS
FESTI SILVSIACI GREGORIANI

Latinis colent

I.

Jo. Ruittinger, *Streiffsdorffensis,*
dicturus de usu & abusu Typographiae

II.

Caspar May, *Milzensis,*
qui vrbes per Typographiam claras afferet

III.

Georgius Petrus Schroeter, *Lengsfeldensis,*
qui Viros per Typographiam claros enarrabit

IV.

Jo. Christoph. Leopold, *Redvizensis,*
qui Insignia & tesseras Typographorum tradet, una cum Ode in Typogra-
phiam seculari

D. XVIII. MAI. A. MDCC.

h. VII.

Litteratam vero Schleusingam, ut frequente confessu beare velit iu-
veniles conatus, & pro litterarum ulteriore incremento preces iungere,
hoc ipso, quod in Declamationes scriptum est, Programmate, debita
omnino ratione inuitat

M. GODOFREDVS LVDOVICI, Gymn. Schleusing. R.

